

DISSERTATIO ACADÉMICA
DE
NOTITIA DEI
NATURALI
INSITA,

Quam
AMPLISSIMÆ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
BENEVOLO INDULTU,

PRO LICENTIA
Præsidenti

& aperiendi Collegia,
EXCELLENTISSIMORUM
DOMINORUM PROFESSORUM
Examini publico

submittit
M. GABRIEL ZOLLER,
MEMMINGENSIS SVEVUS,

ad diem Octobr.

M DCC XVII.

H. L. Q. C.

GISSÆ, Literis JOHANNIS MULLERI.

Disf. t. 241 (5)

diss. A
5

VIRO

*Summe Reverendo, Prænobilissimo,
Doctissimo,*

DOMINO
GEORGIO Wächter,

SUPERINTENDENTI
DIÆCESEOS MEMMINGENSIS
MERITISSIMO,

*Patrono, Præceptori atque Cognato
æternum colendo,*


Primitias hæc Giessenses

in gratitudinis animique
devoti tesseram

offerit

AUCTOR.





DE
NOTITIA DEI NATURALI
 INSITA.

§. I.



Anta est hominum quorundam malitia, tanta animi *Prooemium.*
 perversitas, ut aperta quævis nonnunquam impu-
 gnare, immo, contra ipsummet conscientiaë testi-
 monium, multa asserere atque negare audeant,
 quod, uti quotidiana sæpe experientia comproba-
 tur, ita vel ex eo luculenter satis conspicitur,
 quod notitiam DEI naturalem, de qua tamen ipsa quemlibet convin-
 cit conscientia, in dubium nonnulli vocare non dubitaverint; cujus
 hac vice existentiam, naturam & indolem, prouti pro ingenii mo-
 dulo in re tam ardua licuit, expendere constitui. Ut autem eo
 feliciter in hocce instituto procedatur, quid per notitiam DEI in-
 sitam intellectum velim, ante omnia erit exponendum.

§. II.

Est autem mihi illa Dei notitia, qua homo usu rationis pol- *Definitio*
 lens simul ac audit & intelligit propositiones essentiam, existentiam
 & cultum DEI spectantes, citra operosam ratiocinationem, ad
 earundem assensum, incitante instinctu & inclinatione mentis in
 DEUM, determinatur, modo non ob certas causas hæc notitia im-
 pediatur, quo minus in actum erumpat, aut à quibusdam data ope-
 ra, renitente licet animo, supprimatur & impugnetur.

§. III.

Non itaque loquor de notitia *Conclusionum*, has enim in- *Homonymia.*
 ratas

natas dicere, nil aliud est, quam negare, dari notitiam acquisitam; sed principiorum, nec merè speculativorum, quale est e.g. impossibile est idem simul esse & non esse: totum est majus qualibet sui parte &c. neque etiam practicorum, quatenus aut nos aut socialitatem respiciunt; sed practicorum & theoreticorum simul, quatenus Deum, ejusque existentiam & cultum spectant, cultum scilicet directum & in sensu strictiori sumtum; non enim nego, DEum etiam coli, si observentur officia, quæ partim proximo, partim nobismet ipsis, debemus.

§. IV.

Synonymia.

In eo sum facilis, sive notitiam hancce insitam cum Phil. Melancthone: notitias divinitus sparsas in mentibus nostris, sive cum Justino Martyre *σπέρμα ἀληθείας*, sive cum Tertulliano *κοινὰς ἐννοίας*, sive cum aliis *δικαίον ἔμψυχον*, lucem ingenitam, rudera imaginis divinæ, sensum divinitatis, aut aliud quodvis dixeris, modo re ipsa mecum convenias; licet non negaverim, ex verbis etiam ea debere eligi, quæ rei videntur accommodatiora.

§. V.

*Distingui-
tur inter no-
ticiam con-
fusam & di-
stinctam. &
conceditur
quod DE-
um confuse
cognosca-
mus.*

Duplici autem sensu hæcce notitia potest accipi, aut pro notitia confusa, aut pro distincta. Confuse DEum cognoscimus sub idea summi boni quod desideramus, in nullo terreno acquiescentes. Pulcre Augustinus in libr. *Confess. Domine*, ait, *fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te, quia in te est omnis sufficientia, sine omni indigentia.* & Gregorius hom. 15. in *Ezech.* *Mens itaque nullam presentis seculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxietur.* Ita sane est, nam, qui se ipsum consideraverit, deprehendet, se nullo bono finito posse exsatiari, & in quocumque etiam felici statu sit constitutus, semper meliorem desiderare; sive voluptatem, sive quodcunque, amaveris, placebit ad tempus, mox nauseabis, de novis voluptatum generibus cogitabis, honores affectas, & avaritiam, inexplebilis erit tua cupido, insatiabile desiderium, verbo: nihil est in hoc mundo, quod desiderio tuo possit satisfacere, semper animus altiora, meliora desiderat, quod eleganter ostendit Petrus Poiretus, exceptis qui-

quibus sententia inquinata est erroribus *intr. de eruditione solida, super-
perficiaria & falsa, itemque in cogitationibus rationabilibus de DEO,
anima & malo, passim.* Et eo ipso, quod nullo bono finito possis ex-
fatiari, semperque quod animo satisfaciat, desideres, cognoscere
debes aliquo modo saltem bonum illud & beatitatem, quam optas
quamque tam ardentem petis. Uti recte concludit Augustinus Lib.
*VIII. de Trinitate C. V. quapropter, inquit, quoniam verum est, quod
omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appe-
tant, nec quisquam potest amare, quod omnino quid vel quale sit, nescit,
nec potest nescire quid sit quod velle se scit, sequitur, quod omnes beatam
vitam sciant: sc. sub communi ratione beatitudinis, seu summi boni,
sub conceptu quodam confuso.*

§. VI.

Hoc itaque facile conceditur, quod DEum ita confuse cogno-
scamus, sed num distincta sit insita illa DEI notitia, de eo lis est inter
doctos, facile ex significatione verbi distincta decidenda. Si enim
notitia distincta innuit notitiam, qua, uti in scholis loquuntur, tan-
tum habemus cognitionis, quantum est cognoscibilitatis in objecto,
sive, qua omne quod est in objecto plene concipimus, atque ipsam
objecti essentiam exhaustimus, nullo modo dicere possumus, quod
DEum ita distincte concipiamus; si autem idem sit ac si dicamus,
nos cognoscere non solum: adesse aliquid quod desiderio nostro in-
finito satisfaciat, sed animis nostris simul inscriptum esse: existere
aliquod Numen à quo dependamus, quod colere debeamus, quod
rationem actionum nostrarum exigat, atque nos ob male facta puniat
&c. hoc sensu, concedo, quod distincte DEum cognoscamus.

*Conceditur
quod DE-
um distincte
cognosca-
mus.*

§. VII.

Scholastici, de hac ipsa re disputantes, distinguunt inter pro-
positiones de Est secundi adjecti e. g. DEus est, seu existit, & tertii
adjecti e. g. DEus est justus &c. ubi quærunt: num sicut notæ per se tan-
tum, aut num sicut notæ per se & simul quoad nos? In duas hinc abe-
unt partes; quidam utramque per se & simul quoad nos notam esse
asserunt; alii, omnes scilicet qui cum Thoma sentiunt, statunt, propo-
sitionem priorem; DEus est, esse quidem notam per se absolute (in-
telli-

*Scholastico-
rum de ea re
adducun-
tur senten-
tiae.*

telligunt autem per propositionem per se notam absolute seu tantum talem, cujus prædicatum includitur in ratione subjecti) non autem quoad nos; ipse Thomas ita se explicat: *propositio DEus est*, inquit, *quantum in se est, est per se nota, quia prædicatum idem est cum subjecto, DEus enim est suum esse, sed quia nos non scimus de DEo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos & minus nota quoad naturam scilicet per effectus.* De posteriori autem propositione concedit utrumque sc. esse notam per se & quoad nos, quod conceptus prædicati quidditativus & proprius apprehensis terminis statim nobis innotescat.

§. VIII.

*quid de iis
sentien-
dum expli-
catur.*

Nisi me omnia fallunt, Thomas non satis causæ habere videtur, quare propositionem de Est secundi Adjecti a propositionibus de Est tertii adjecti separaverit, & de priori, quod nota sit quoad nos, negaverit. Unum enim idemque in utraque est subjectum, & prædicatum utriusque est par evidens, tam clara enim nobis est existentiae idea ac justitiæ, illaque æque ac hæc in conceptu subjecti continetur, maxima enim perfectio enti perfectissimo, quod conceptus Dei exhibet, deesset, si existentia deesset. Quando autem dicit, nos nescire quid sit DEus, quid aliter innuit quam essentiam & quidditatem Dei nos non posse investigare, hinc ad subjectum pertinet quod in utrisque idem.

§. IX.

*Sententia
variorum
de modo quo
notitiam in-
ditam asse-
runt refe-
rumur.*

Quicquid tandem sit de hacce scholasticorum lite, magis ad præsens institutum pertinere videtur, si variæ variorum de modo sententiæ expendantur. Quatuor recte constitui possunt earundem classes, aut enim *per ideam innatam*, aut *actu secundo*, aut *actu primo*, aut denique *potentia propinqua*, inditam nobis esse divini Numinis notitiam asserunt.

§. X.

*Cartesius
quid statu-
at dicitur.*

Ideam DEI positivam, ab infinita substantia necessario produ-
ctam, ex qua existentia DEI demonstrari possit, nobis esse connatam,
magno

magno conatu magnaue specie defendit Cartesius. Ita enim Medit. Male nos
 III. p. 21. Nec putare debeo, inquit, me non percipere infinitum per ve- DEum pes-
 ram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem & te- tive conc-
 nebras per negationem motus & lucis; nam contrà manifeste intelligo plus pere posse as-
 realitatis esse in substantia infinita quam finita, ac proinde priorem quo- seris,
 dammodo in me esse perceptionem finiti quam infiniti, hoc est DEI quam
 mei ipsius. Verum non sequitur, quia DEUS magis est positivus ma-
 gisque realis quam omnia alia, ergo etiam positive, & quoad reali-
 tatem ejus, ipsum concipio, nisi statuas finitum esse capax infiniti.

XI.

Pariratione responderi potest ad ea, quæ eadem pagina profert: Male nos
 DEI nomine intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, ipsos DEI
 summè intelligentem, summè potentem, & à quatum ego ipse, tum aliud ideam for-
 omne, si quid aliud extat, quodcunque extat, est creatum. Quæ sane mare posse
 omnia talia sunt, ut quo diligentius attendo, tanto minus à me solo profe- negat.
 eta esse posse videantur. Ideoque ex antedictis DEum necessario existere est
 concludendum: nam quamvis substantia quidem idea in me sit, ex hoc ipso
 quod sim substantia, non tamen idcirco esset idea substantiæ infinita, cum
 sim finitus, nisi ab aliqua substantia, quæ revera esset infinita, procederet.
 Ut clarius quid sibi velit & accuratius intelligatur, in forma exhibebo
 mentem ejus: Quicumque est finitus ille non potest habere ideam sub-
 stantiæ infinitæ, nisi ab aliqua substantia, quæ revera est infinita. At-
 qui, Ergo &c. Habere ideam infiniti à substantia infinita, idem est, ac
 ipsum Numen infinitum indidisse suimet ideam homini, alias enim,
 putat, hominem non potuisse sibi concipere ideam substantiæ infinitæ
 quia est finitus. Sed resp. Quicumque est finitus, ille non potest ha-
 bere ideam substantiæ infinitæ infinitam, nisi ab aliqua &c. concedo;
 neque hoc ipsum negat Cartesius, dum in eadem pagina ita philoso-
 phatur. Nec obstat quod non comprehendam infinitum, vel quod alia
 innumera in DEO sint, quæ nec comprehendere, nec fortè etiam attin-
 gere cogitatione ullo modo possum, est enim de ratione infiniti, ut à me qui
 sum finitus non comprehendatur. Quo ipso innuit se DEum infinitum
 concipere finite, adeoque finitam suam esse de DEO ideam. Si ita-
 que sensus sit: Quicumque est finitus ille non potest habere ideam sub-
 stantiæ infinitæ finitam &c. nego. Non sequitur, quia sum finitus, ergo

non possum finite DEum concipere. Ita quidem, si idea esset infinita, si infinite DEum comprehenderemus; sed cum finite DEum concipiamus, & multa in eo sint, quæ, quod ipse concedit Cartesius, nec comprehendere, nec forte etiam attingere cogitatione ullo modo possumus, sane non sequitur: ab ipsa infinita substantia ejusmodi ideam debere esse iudicam. Recte in hanc rem celebr. *Buddeus*, Patronus atque Præceptor, quem veneror, optimus: *Nec necesse est, inquit, ut causa quedam infinita potentia & perfectionis idea huic assignetur, cum eadem ratione, qua reliquæ idea finite producuntur, & hæc produci queat. Nimirum, si ex rebus creatis omnibus, quæ nobis nota sunt, quicquid perfectionis rationem habet, colligatur, removeatur contra, quicquid cum imperfectione quadam conjunctum est, facili negotio ideam entis perfectissimi ipsimet nobis formare possumus. De Atheismo & superstit. C. V. §. 1. p. 370.*

§. XII.

Confundit ideam infinitam & ideam infinite substantia, nos enim DEum non infinite, sed finite & imperfecte concipimus.

Confundit itaque Cartesius ideam infinitæ substantiæ & ideam infinitam; sane cum idea nihil sit nisi actus intellectus circa objectum, non poterit exinde, quia intellectus noster finite versatur circa objectum infinitum, actus ille intellectus vocari infinitus, quicquid enim in infinito Numine concipimus, finite concipimus, imperfecte, inadæquate. Sic quando illud vocamus independens, eo fatemur, nos non posse concipere causam ex qua DEus oriatur, nos non posse ipsius indagare originem, illum non esse ab alio, esse à se ipso; Pari ratione dicendo DEum esse infinitum docemus, nos non posse concipere terminos ejus aut ejus imaginari partes extremas, esse cum fine omni fine, sine omni termino. Licet enim in unitate (quod celeb. *Immanuel Weber* in nota ad *Pufend. de off. hom. & civ. Lib. 1. CIV. §. V. p. 67.* observat distinguendo inter finitatem extensionis & specificacionis) essentiæ divinæ certo respectu fines possint tribui, quia scilicet unus est DEus, cujus numerus nec debet nec licet augeri, improprie tamen & imperfecte de DEO prædicatur, meliusque forsan complete quam finite unus dicitur. Reliqua Cartesii argumenta partim *Museus* in *Introd. in Theol. C. II. §. 23* partim summe Reverendus *Buddeus* de *Atheismo & superstit. Cap. V. §. 1. p. 369.* is. refutarunt; taceo *Baptistam Morinum*, *Petrum van Mastricht*, aliosque qui ex instituto contra Cartesium egerunt.

XIII.

§. XIII.

Hoc saltem addo, quod an ulli observatum sit nescio: ^{Sibi ipse} ^{contradictio}
 Cartesius sibi ipsi non satis constare videtur ex locis enim
 adductis aliisque patet, eum semper provocare ad ideam Dei in-
 natam, priorem omni alia cognitione, ab ipso infinito Nu-
 mine necessario productam, cujus etiam inde existentiam probare
 annititur; sed alibi dicit, se statuere, facultatem saltem eliciendi
 ideam Dei nobis esse inditam, ita enim ad *Obj. X. contra Medit III.*
 respondet: *Denique cum dicimus: ideam aliquam nobis esse innatam,*
non intelligimus, illam nobis semper obversari, sic enim nulla prorsus
esset innata, sed tantum, nos habere in nobis ipsis facultatem illam eli-
ciendi. Et in notis ad programma quoddam 1647. in Belgio edi-
 tum s. t. *Explicatio mentis humane sive animarum rationalis, ubi explica-*
tur quid sit & quid esse possit, queretur sibi adscribi ac si insitas à
 natura humanæ menti de Deo notitias actuales, species & ideas ad-
 mittat, ubi p. 189. dicit: *monebo hic per ideas innatas me nihil unquam*
intellexisse, nisi nobis a natura inesse potentiam, qua Deum cognoscere
possimus &c. Sed, quid quæso verba §. XI. adducta: (ut alia brevi-
 tatis ergo taceam) non tamen idcirco esset idea substantiæ infinitæ
 cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia quæ revera esset in-
 finita, procederet, aliud innuunt, quam nos non habere facultatem
 formandi ideam substantiæ infinitæ, sed illam necessario ab ipsa
 infinita substantia debere produci?

§. XIV.

Actu secundo, quod insigne illud *Ecclesia lumen Joh. Franci Scholasticor-*
scus Buddeus in *selectis Jur. Nat. & Gent. diff. de pietate Philos. §. 13. p. 205.* ^{rum de mo-}
 refert, innatam esse de Deo notitiam, Cajetanus, Medina, Azorius ^{do notitie}
 aliique de Scholasticorum grege sibi persuadent; sed, quod censeo, ^{innata opinio.}
 male, quia notitia in actu secundo ex hypothese semper importat
 aliquem actum cognoscendi ab intellectu elicitem, hinc eo ipso
 quod ab intellectu producitur, non potest nobis esse naturam insitam
 aut innatam.

§. XV.

Actu primo, Plato refertur statuisse, omnes rerum ideas esse ^{Platonice}
 B inditas

rum de om-
nibus omni-
um rerum
connatis
ideis opinio.

nostra sen-
sentia.

Obiectio
contra eam

non uni-
versaliter
vera est.

inditas, ita ut in hac vita nulla a nobis scientia comparetur; sed cum discimus solummodo eorum, quæ ante novimus, reminiscamur, & phantasmatis sensuum beneficio formati excitemus scientiam in animo latentem & materiæ caligine oppressam; quæ sententia, uti se ipsam facile confutat, deberemus enim eorum quæ discimus reminisci i. e. cognoscere ut antea cognita; ita ab ea longe disto.

§. XVI.

Actu tamen primo, sed alio sensu, statuo, notitiam Dei esse inditam, tum demum autem deduci in actum secundum, si usus rationis accedat, neque itaque infantibus neque insipientibus actum secundum notitiæ Dei tribuo, quia rationis usu destituuntur, nec quod Athei sint, qui omnem divinitatis sensum exuisse videntur, à sententia dimoveor, nam talem esse hancce notitiam antea observavi, quæ suppressi, impugnari aut etiam impediri possit.

§. XVII.

Hoc quidem ubique contra notitiam in actu primo inditam obijcitur, quod ad omnem actum primum necessario requirantur species impressæ, ergo si statuatur notitiam Dei esse inditam actu primo, asserendum, etiam species impressas esse inditas, cum tamen nullæ species nobiscum nascantur, sed transmittantur ab objectis beneficio sensuum. Ita sane *Johannes Andreas Schmid* in *Theol. Natur. pos. §. IV. p. m. 31.* *B. Musæus* *Intröd. in Theol. cap. II. §. XIX. p. 53.* & cum eo omnes fere Theologi.

§. XVIII.

Sed nititur hæc hypothesis Canone illo trito: Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu, quo destructo destruitur omne argumentationis fundamentum. Plato, quod antea dictum est, omnium rerum ideas in mente esse reconditas & actu primo inditas statuisse refertur, huic & in eo discipulus se se opposuit Aristoteles, statuendo: nihil esse in intellectu sine phantasmate prævio, si modo ita universaliter hæc intellexit Philosophus. Medium autem hinc erit tutius & verius, neque enim dicendum, omnes ideas esse inditas, neque concedendum, nullam plane esse connatam, propterea, quod ad omnem actum cognoscendi primum in sua intrinseca natura requirantur species impressæ.

§. XIX.

Artissimo quidem vinculo, diversissimæ naturæ, anima & ^{interdum} corpus, inter se conjunguntur, atque in operationibus suis, quod ^{e nim anim-} ^{ma agit} ^{eum corpore} ^{interdum} ^{sine corpore.} quidam statuunt, semper ab invicem dependent, ita ut anima non sine organo corporis & corpus non sine actione animæ esse possit, quod adeo nonnulli extendunt, ut nullam plane vitam, nullum actum, nullum motum, neque etiam physicum e. g. concoctionem in stomacho esse in corpore asserant, nisi qui dependeat ab operationibus animæ, nixi hac ratione, quod, si anima à corpore separaretur, nulla in corpore deprehendatur vita; cui quidem sententiæ qui contradicunt, contendunt: corpus peculiarem habere vitam atque vim e. g. vegetativam non animæ sed corpori esse propriam, hinc ad object: corpus, si anima ab eo separaretur, nullam plane habere vitam, respondent, corpus non ideo nullam habere vitam, quod anima ab illo fuerit separata, sed animam propterea discessisse à corpore, quia corpus desierit vivere. Quicquid sit, de physica animæ operatione heic non quæro, sed de morali: num anima, percipiendo, judicando, reflectendo &c. semper cum corpore, propter artissimam illam unionem, agat, ita ut nil possit esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu, aut num interdum sine commercio corporis? Hoc est extradubium: agit cum corpore, sed pari ratione certum est atque evictum: agit interdum sine corpore. Quemadmodum enim corpus habet proprietates sibi quâ corpori competentes; sic anima quoque habet proprietates sibi quâ animæ competentes; hinc licet in unionem spectata semper cum corpore agat, exinde tamen non sequitur illam non posse exclusive ad corpus edere aliquam operationem sibi quâ animæ competentem i. e. spirituales. Sane anima habet suam essentiam, & corpus habet suam essentiam, nulla autem essentia est sine proprietatibus, hinc utramque essentiam suas i. e. sibi proprias habere proprietates recte concludi posse arbitror; licet enim hæ duæ essentiæ tertiam quasi essentiam, hominem scil. constituent, ita ut hæ materialiter tres essentiæ in unam formaliter talem, quæ est homo, resolvantur, & per consequens sic unite agant, non tamen exinde sequitur, animam proprietatem sibi qua animæ competentem amittere, nec posse agere sine corpore

§. XX.

De posteriori
ri multum
quidem Phi-
losophi di-
spicant.

Maximæ circa hanc ipsam rem Philosophorum deprehenduntur controversiæ, dissensus maximi. Quidam ita extollunt vim animæ intelligendi sine sensuum & corporis commercio, ut ideas hæc puras clariores esse ideis mixtis (quas anima cum corpore agens producit) omnino contendunt, quod cum Cartesio *Medit. II. & VI. alibique passim* agunt Malebranche *de inquir. Verit. lib. III. le Grand de mente hum. C. V.* Henricus Morus in *Enchirid. Metaph. p. I. C. 28.* du Hamel *de mente hum. lib. I. C. II. § V.* (quorum referre verba nimis longum foret) aliique multi. Alii ex adverso omni animam facultate sine phantasmate aliquid contemplandi privant, uti præter Aristotelem *Lib. III. de anima text 30. & de memoria C. A.* universamque fere scholasticorum cohortem ex patribus nonnulli atque recentioribus. Alii denique concedunt, animam posse cogitare sine phantasmate, sed obscuras admodum esse ejusmodi ideas asserunt, vid. præter alios *Fabruer. de homine def. I. ceber. Buddeus Philos. Instrum. C. I. §. 46.*

§. XXI.

Sed qui ne-
gant, ani-
mam posse
sine corpore
agere, er-
rant, quod
vel ex ope-
ret quod
DEI ideam
habeamus.
qui tamen
imateria-
lis est, & sub
nullum sen-
sum cadit.

Ego, quomodocunque hæc mecum pensito, invenio: esse aliquos actus mentis puros sine mixtione corporis, sed hoc simul video: mentem nullam cogitationem, actum nullum, intellectu puro, posse se producere, nisi res per sensus perceptæ ansam ad minimum præbuerint, hinc hac ratione Canonem: *Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu*, concedi posse censeo, si addatur: *aut per totum aut per partes.* De rebus, quæ extra mentem existunt, visibilibus concedo: quicquid extra mentem percipimus, percipimus per species impressas, nam quicquid vidimus est corporale; sed aliter de iis, quæ in ipsa mente nostra aguntur, sentio, nonne abstrahimus? nonne ideam habemus rerum non corporabilium? Et hoc mihi sufficere videtur ad infringendam universalitatem assertionis: ad omnem actum primum requiruntur necessario species impressæ, si insto: sunt quidam actus cognoscendi, imo cognitiones & ideæ, sine phantasmate, sine sensuum ministerio, sine commercio corporis, quorum abstractiones universalesque conceptus, ideam DEI & spirituum refero. Quomodo enim DEus, sui speciem interventu sensuum & phantasmatum transmittit, qui immaterialis est, & sub nullum sensum ca-
dit?

dit? Non quidem nescio, illos, qui statuunt: nullum dari actum cognoscendi primum sine speciebus impressis respondere ad hanc objectionem: DEum immittere sui speciem non per se, sed per effectus, ex quibus formentur præmissæ, & ex his conclusiones de DEO; meretur qui ipse de hac re audiatur B. Musæus: *Quamvis enim DEus, inquit, per se sub nullum sensum cadat, neque etiam aliquam sui speciem propriam per se immediate hominis intellectui imprimat, ejus effectus tamen, qui ipsius essentia & perfectionum essentialium signa sunt, cadunt sub sensum, & transmittunt sui species ad intellectum possibilem interventu sensuum & phantasmatum. --- In discursu enim, quo ex rebus creatis in cognitionem DEI ejusque perfectionum essentialium deducimur, determinat species rerum creatarum intellectum ad eliciendam cognitionem præmissarum, qua medium concludendi à rebus creatis velut effectibus DEI petitum continent, & DEI existentiam ejusque perfectiones essentielles inferunt: illarum vero cognitio determinat eundem porro ad cognitionem conclusionum, qua DEI existentiam ejusve perfectiones essentielles asserunt; & sic species rerum creatarum determinat intellectum ad cognitionem DEI remote saltem & mediante discursu; proxime autem & immediate determinat illum ad eandem (cognitionem) petita à rebus creatis præmissa cognita vel potius illarum cognitio. *Introd. in Theol. Cap. II. §. X. p. 169. seq.* Sic itaque censet: cognitio specierum à rebus creatis impressarum determinat intellectum ad certas propositiones, (præmissas) & cognitione harum determinatur intellectus ad cognitionem propositionum de essentia & attributis divinis (conclusionum) sive, mediantibus speciebus à rebus creatis impressis, & inde oriente cognitione præmissarum, intellectus determinatur ad conclusiones de essentia & attributis divinis eliciendas.*

§. XXII

Ita quidem est: cognitio præmissarum à rebus creatis hausta, est per species impressas illarum rerum in actu primo, hoc concedo, modo mihi concedatur: cognitionem conclusionum in actu primo nullas habere species impressas, sed cognitionem præmissarum, per quas ratiocinando intellectus determinatur ad cognitionem conclusionum; & licet cognitio præmissarum supponat species impressas, eas tamen non supponit cognitio conclusionum, (nisi quatenus supponit cogni-

binc negatur quod ad actum primum cognoscendi Deum species impressæ immediate requirantur.

B 3

cognitionem

tionem præmissarum, h. e. remote & mediate) quia hæc non est à speciebus impressis, sed à cognitione præmissarum. Nec re ipsa dissentire videtur Musæus, dum concedit, species rerum creatarum vel potius illarum cognitionem determinare intellectum ad cognitionem DEI remote & mediate, & eo ipso, quæ modo dixi non infringit, concedendo in cognitione DEI immediate & propinque ad hunc ipsum actum cognoscendi non requiri species impressas, quod mihi sufficit statuenti: dari quosdam actus cognoscendi ad quos nulla species impressa requiratur, hoc enim non pugnat mecum, quod cognitio præmissarum, ex qua est cognitio conclusionum, orta sit à speciebus impressis, non enim loquor de origine remota, sed immediata & propinqua.

§. XXIII.

Nihil itaque aliud est actus primus quam facultas.

Licet itaque asseram: notitiam DEI esse nobis connatam actu primo, species tamen impressas connatas esse nego, quia Deus non transmittit sui speciem, neque illæ ad huncce actum cognoscendi immediate requiruntur; sed id saltem volo: connatam esse nobis facultatem elicendi conclusiones essentiam & cultum DEI spectantes.

§. XXIV.

Quæ à potentia differt.

Facultatem malui dicere quam potentiam, quia facultas, si accurate verba considerentur, innuit: revera aliquid adesse, adesse vim & vires ad agendum; potentia autem hoc saltem: non repugnare naturæ rei si hoc vel illud agatur, posse ita in hanc rem agi. Sic si dicatur, nos habere notitiam DEI potentiâ, nil aliud est, ac non repugnare naturæ mentis nostræ ut cognoscat DEum, cognitionem DEI posse in ea habere locum, sive, corda ad inscriptionem notitiæ DEI recipiendam esse habilia, quod non sufficit, uti egregie observat celeberrimus Immanuel Weber, egregium Ludovicianæ universæque litterarum reipublicæ decus, *in not. ad Pufend. de Off. Hom. & Civ. Cap. III. §. XII. p. 60.* Sed contra, si de facultate dicitur, non nuda aptitudo recipiendi cognitionem DEI, sed, quæ revera adest, vis viresque elicendi hancce cognitionem, indicatur.

§. XXV.

Potentia

Potentia propinqua duplici sensu potest intelligi, aut enim erit com-

completa aut incompleta ; completa est ex hypotēsi , qua quis rem
ita potest cognoscere, ut simul habeat species rei intellectui impressas ;
incompleta est , qua quis rem potest cognoscere , ut careat specie-
bus impressis intellectui ; si completam Theologi intelligunt , con-
sentimur, nam coincidit cum actu primo, qui pari ratione describitur,
modo de ipsa descriptione videtur aliquis esse dissensus, dum enim
ad actum primum species impressas necessario & immediate pertine-
re nego, actum primum, seu potentiam propinquam completam non
describo quod sit potentia cognoscendi , qua quis species rei intelle-
ctui habet impressas, sed illud tantum significo: adesse aliquid reve-
ra, adesse vim viresque, adesse facultatem cognoscendi.

*propinqua,
qua Theolo-
gi notitiam
inditam esse
asserunt, est
vel comple-
ta vel in-
completa.*

XXVI.

De eo adhuc dispiciendum : *Quomodo hæc facultas cognoscen-
di DEum differat à ratione?* Vox rationis varios semper sortita est si-
gnificatus, variisque obnoxialitibus, quod non immerito ita con-
queritur Schomerus: *Rationem, inquit, qua à brutis differimus,*
alii aliter definiunt, & miserum est in ipso limine & communi in-
telligendi principio etiam dissidere Philosophos, cum quid illud
sit, quo se omnes niti, quodque sequi se gloriantur, indignant. In
Theol. Mor. Cap. lll. §. 3. Quidam dicunt esse facultatem cognoscen-
di rem in natura sua; quidam: esse potestatem ad motum, qui du-
cit ad conclusionem; alii: esse facultatem distincte reflectendi super
conceptus & cogitationes nostras &c. quibusdam intellectus & ratio,
aliis lumen naturæ & lumen rationis idem denotant, per lumen na-
turæ normam, secundum quam in ratiocinando agit intellectus, amo-
rem scil. sui, intelligentibus; tantam enim vim esse voluntatis in
intellectum, dicunt, ut ab illius imperio hic dependeat, atque ad
ejus nutum necesse agat. Lumen id vocant naturæ, quod naturâ hæc
inter intellectum & voluntatem locum habeat harmonia, ut in-
tellectus sit judicare, voluntatis autem imperare, cum autem essen-
tiam voluntatis constituat amor, quicquid cum hoc amore conve-
niat verum & bonum esse intellectus judicet, & contra. Quicquid
sit de hisce vocis rationis significatibus; in præsentî quæstione ita ac-
cipitur, ut idem sit ac intellectus, non quidem stricte sic dictus, qua-
tenus scil. simplicem solum mentis adprehensionem, (quam Logici

*Quæritur:
quomodo
facultas co-
gnoscendi
DEum dif-
ferat à rati-
one & resp.
ut species à
genere.*

præ-

primam operationem vocant) denotare videtur, sed late sumtus, quatenus omnes intellectus actus sub se complectitur, & est: facultas illa naturalis *ϕιτικη*, qua homo de rebus quibusvis animo se ingerentibus, prout illas apprehendit, judicare & reflectere super illas non nequit. De hac itaque quaeritur: quomodo differat à facultate illa cognoscendi DEum? vel potius, quod tamen quoad rem idem est: quomodo facultas connata cognoscendi DEum differat à communi facultate res quaslibet dijudicandi? Resp. differunt à se invicem ut *Genus & Species*. Homini connata est facultas judicandi & reflectendi super res quaslibet, quas perceptas inter se componit, disjungit & vario modo circa illas versatur, & hæc facultas specificatur & determinatur per instinctum illum naturalem & inclinationem in DEum, ad ejus cognitionem.

§. XXVII.

Specificatur enim per instinctum menti inditum.

Maximum itaque est propensionis sive instinctus hujus inditi hac in re pondus, maxima vis & efficacia, ita enim hominem ad cognitionem DEI inclinatur, ut, nisi lubens cœcutire atque oculos mentis claudere velit, ad divinitatis aliquam notitiam non possit non ferri; uti autem non sufficit cognoscere DEum qui tamen non colatur, ita pari ratione ad cultum DEI voluntatem determinatur ista propensio, ut nisi malevole resistat homo, non possit non divinitatem aliquam colere.

XXIIX.

Quid Theologi doceant reseruetur

Theologi, licet de notitia saltem DEI indita loquantur non tamen negant inclinationem in DEum, imo sensum divinitatis cordibus hominum esse inscriptum, nixi Rom. I. 18. ubi Apostolus τὸ γνωστὸν (cognoscibile, id quod cognosci potest de DEO) τῆ θεῶ φανερόν ἐστι ἐν αὐτοῖς, intra illos, in animis ipsorum, in conscientia, sine operoso discursu, ac in intimis mentis penetralibus, uti ipse se explicat Paulus Rom. II. 15. τὸ ἔργον τῆ νόμου γραπτόν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. De emphasi vocis *γεγραπτόν* vid. Glassius *Rhet. S. T. I. C. XII. p. m. 1836. seqq.* & B. Andreas Adamus Hochstetterus in diss. de notitia DEI naturali ex folis S. Scr. dictis exegetice illustratis demonstrata, ubi egregie admodum ita loquitur: *Tabula ergo Cor est, quam inspicere & habebis legem, immo opus, ipsamque rem & sententiam legis. Expende Prov.*

114.30

M. 2. ubi sapiens: scribe, inquit, praecepta mea in tabula cordis q. d. mentee a reconde, constanterque animo serva, penitusque ei infige, ut in promptu sint adversus peccata mundique illecebras pharmaca &c. Quemadmodum itaque auditum auribus, oculis visum, gustum ori; sic hunc divinitatis sensum humano cordi indidit supremum Numen, ut adeoque nullum cor humanum sine hoc sensu existat. Praclare Julianus, quantumvis impius: Πάντες ἀδιδάκτους εἶναι θεῶν πεπεισμεθα καὶ πρὸς τὸ ἀφοεῖν, ἐπ' αὐτῶν τε σείδων, ἕτω θεοὶ δὲ μὲν τὰς ψυχὰς πρὸς αὐτὸ, ὡς περὶ πρὸς τὸ φῶς τὰ βλέποντες. Omnes, ante doctrinam, Numen aliquod esse persuasi sumus; eo respiciendum, ad id properandum, habentque sic se animi nostri ad DEUM ut visu praedita ad lucem. Pari ratione eleganter admodum celeb. Dn. D. Rüdiger, Theologus & Philosophus excellentiss. Quid, inquit, in Gentilibus, φύσει ea quae legis sunt facientibus, illud ἔργον ἔ νόμος ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν γεγενητόν; quid συμμάρτυρον αὐτῶν συνείδησις; ἔ quid illi λογισμοὶ μεταξὺ ἀδικῶν καὶ ἠγορεύοντες καὶ ἀπολογεῖντες; arguere aut inferre aliud poterunt? quam insitam illam, ἔ à Supremo Legislatore imis animi medullis infixam, inscriptamque legem, cumque lege hac indivulso nexu ac modo adeo conjunctam implantatamque Numinis aliquam Notitiam, sensum ἔ obligationem internam &c. in diss. de Conscientia scrupulosa C. I. §. II. p. 5.

§. XXIX.

De eo nunc rationem mihi reddendam esse video, quare à communiori sententia, qua notitiam DEI inditam esse statuunt potentia propinqua incompleta, (est ex hypothesi qua quis rem potest cognoscere, ut careat speciebus impressis) discesserim? Theologi ubi notitiam DEI potentia propinqua connatam asserunt, in duas abeunt partes; quidam, statuentes innatam esse DEI notitiam potentia propinqua completa, species simul impressas innatas esse contendunt, quibus alii, Thomistæ scilicet, & qui cum illis sentiunt, contradicunt, ex hac quidem ratione, quod species impressæ intellectum ad essentialem DEI conceptum determinent, si itaque species DEI impressæ omnibus hominibus connatæ essent, omnes homines essentialem DEI conceptum haberent. Ita sane B. Musæus; Si naturâ, inquit, hominis intellectui inesset (species DEI

Ratio adfer-
tur, cur no-
titiam DEI
potentia
propinqua
incompleta
inditam di-
cere nolue-
rimus.

C

pro-

propria) determinaret eum aequè in omnibus hominibus ad conceptum DEI proprium & quidditativum eliciendum. Est enim speciebus impressis propriis hoc commune, ut intellectum ad proprium & quidditativum conceptum rei eliciendum determinent, & si naturâ species DEI propria omnium intellectui inesset, necesse esset, ut eum in omnibus hominibus ad quidditativum & proprium DEI conceptum eliciendum determinaret, sed consequens est contra experientiam. *Introd. in Theol. Cap. 11. §. XII. m. 11. p. 76.* Ut itaque charybdim hancce nonnulli evitarent, notitiam inditam esse statuerunt potentia propinqua incompleta. Verum enim vero ad id omne redibit punctum, num necessario ad omnem actum primum seu potentiam propinquam completam species impressæ requirantur? & , num harum sit natura & ratio, ut intellectum ad eliciendum quidditativum conceptum determinent? De priori quid sentiam, ex antea dictis patet; posterius autem est contra experientiam, multarum enim rerum naturalium habemus ideas & per consequens species impressas (quia ex hypothese, quicquid cogitamus, quicquid percipimus, fit per species impressas) quarum tamen nos latet quidditas. Neque itaque species impressæ ad conceptum quidditativum nos determinant; neque ad omnem actum cognoscendi primum immediatè requiruntur; propterea si dicitur potentiam propinquam completam esse, qua quis species rerum habet impressas, idem est ac si dicatur: revera aliquid adesse, adesse vim & vires, adesse facultatem, & ex opposito potentia propinqua incompleta innuit: nihil adesse, adesse saltem potentiam (prouti differentiam facultatis & potentiæ supra ostendi) imo nudam potentiam, uti expresse Hülsemannus in *Prælect. ad Breviar. Cap. 1. p. 1134.* Cum itaque potentia propinqua incompleta sit nuda potentia, facile patet, cur hac ratione notitiam innatam esse negaverim, non enim nudam potentiam, sed ponderosam (facultatem, vim viresque) ad cognitionem DEI eliciendam connatam esse antea dixi.

Sententia
nostra pro-
batur &
conscientia
testimonio,
eius via
ostenditur.

§. XXX.

Explicata itaque, quam de notitia DEI foveam, sententia, eorum mihi quæ hætenus posui incumbit probatio. Primum argumentum suppeditat internum conscientia testimonium. Hoc enim

enim

enim unicuique dicitur quid faciendum quidve omittendum, hoc instat, si de malo committendo mens cogitat, angit, si mali quid sibi conscia, & excruciat. Recte Poëta de homine, quem mala premit conscientia, ita canit:

*Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies stringente Senatu
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Heu quantum misero pœne mens conscia donat.*

Est quasi Syllogismus Practicus, Majorem exhibet συνήγησις (scientia principiorum) quæ occulto semper animi sensu clamitat: DEUM esse, huic potius parendum quam suis cupiditatibus, huic reddendam esse rationem de malefactis, hæc timorem DEI ejusque amorem inculcat animæ, si quid contra egerit, adest συνείδησις, quæ insitam sibi cognitionem ad ea facta, quorum sibi mens est conscia, applicat, subsumendo: Atqui tu fecisti hoc; exinde oritur angor & cruciatus animi, summa perturbatio, inquietudo, molestia. Præclare hanc in rem jam laudatus Hochstetterus: *Admiranda, inquit, hæc anima nostra vis, interiorum in nobis secretorum gnara testatur jugiterque inculcat, quid in abdito quoque cogitaveris? quid dixeris? quid feceris? — Quod graviter etiam expressit auctor Libri Sapient. ἡγὺ ἐλέγξει αὐτὸς ἐξ ἐναντίας τὰ ἀμαρτήματα αὐτῶν. Peccata ipsos suamet convincent ex adverso Sap. IV, 20. velut contra stantia, quemadmodum testes in judicio solent; Conscientia erit pro mille testibus, ipsaque flagitia, & ex adverso stantia, animumque suo adspectu terrentia ipsos redarguent. l.c.p. 15. Hinc angor, hinc metus, hinc fere desperatio. Recte Juvenalis Satyr. XIII.*

*Pœna hæc est vehemens, & multo sevirior illis
Quas aut Ceditius gravis invenit aut Rhadamantus,
Noctē dieque suum gestare in pectore testem.*

§. XXXI.

Si historias consulere velim, bone DEUS! quam amplius mihi aperiretur campus, quanta dicendi copia; sed quid opus est multis? Exemplum luculentum habemus, (ut verbis utar Summe Rev. Dn. D. Maji, Viri, egregiis sanctioris doctrinæ scriptis, per totum, qua patet, litterarum orbem, celeberrimi, in *Oecon.*

Et ex historia ulterius comprobatur

Judic. N. T. p. 604. (q.) in Tiberio Imperatore, qui non vidit tantum, sed sensit quoque dolorem suum, eumque fassus est significantissimis verbis apud Tacitum L. VI. Annal. C. VI. quid scribam vobis, P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me Deaque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Ad que ita commentatur Historicus: Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientia affirmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita sevitia, libidine, malis consultis, animus distrahitur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. Hinc recte Seneca: Conscientia, inquit, etiam in solitudine anxia & sollicita est; immo neque vigiliis neque quietibus sedari potest. En conscientia stimulum, qui premitur quidem ad tempus, non tamen opprimitur, & tandem aliquando evigilat, licet mortuus fuisse videatur; Quem nisi metuisset, aditum non prohibuisset moribundus Spinosa verbi divini Ministris. Ita enim post obitum ejus confessi sunt amici, eum serio illis inculcasse, dum lecto ipsum tenebat morbus, ne pastorem quempiam aut religiosum admittant, facile enim fieri posse, dixisse, ut verba quædam proferret pœnitentiam arguentia, hinc famam orire metuisse, eum sententiam mutasse. Omni itaque vi, viribus omnibus id agunt Athei, ut stimulum conscientia, quem sentiunt, malevole supprimant, & stultam admodum superbiam æternæ mentis saluti præferant, (modo homines credant, optavit Spinosa, se perseverasse sententiâ) non aliter uti Machiavellus, qui referente, ex Marchanto, Donati disp. de Exist. Atheis. §. 30. suam in agone ita professus est mentem: Lieber mit Platone / Aristotele / Alexandro und dergleichen grossen Leuthen in die Hölle / als mit anderer Canaille und dem geringen Hauffen in den Himmel. vid. celeb. Immanuel Weber in elegant. tr. germanice conscripto Francof. 1697. in 8vo edito s. t. Beurtheilung der Atheisterey p. 38. Quomocunque autem resistant Athei, non tamen possunt non vel naturâ interdum coacti DEUM aliquem credere, DEUM invocare, illustre hocce assertum confirmat exemplum à celeb. Dn. Webero l. c. p. 16. allatum,

ubi

ubi de nonnullo refert, quod igni traditus dolores sentiens exclamaverit: *Alas mon Dieu! mon Dieu!* sed, quæ stupenda hominis est pertinacia, cum ut signa pœnitentiæ à spectatoribus verba hæc accipi animadverteret, *verba fuisse non pœnitentis sed dolentis*, dixerit. Ex paucis hæc fati, ut spero, adparet, homines vel etiam atheos sentire, quem supprimunt, conscientiæ stimulum.

§. XXXII.

Præter conscientiæ testimonium adduci alias etiam solet consensus Gentilium & Christianorum, nec plane rejiciendum est probabile hocce argumenti genus, exceptio enim: Christianos potuisse hæc haurire ex revelatione, ipsa testimoniorum inspectione facile refutatur, non enim dari notitiam DEI innatam asserunt, quod hoc scriptura doceat, sed quod revera omnium cordibus sit inscripta, semper enim dicunt naturaliter illam nobis inesse, ad naturam itaque provocant, hujusque explorationem, Ita sane Joh. Damascenus: *παντες*, ait, *η γνωσις τῆς εἰναι θεῖν ὑπ' αὐτῶν φυσικῶς ἐγκολλησασθαι*, notitiam illam, quod sit DEUS, omnibus ab ipso naturaliter esse insitam de fide *Orthod. I, 3.* & Eusebius in *prepar. Evang.* notitias hæc vocant *αὐτοδιδάκτως ἐννοίας*, μάλλον δὲ *θεροδιδάκτως*, notiones, quarum quisque sibi Magister est, imo potius, quarum quisque Magistrum DEUM habet. Hieronymus in *Com. ad Gal. 1, 15.* dicit: *naturâ omnibus DEI inesse notitiam*, & Arnobius *Lib. 1. adversus Gentes* quisquamne, ait, est hominum, qui non eum istius principis (DEI) notione diem primæ nativitatæ intraverit, cui non ingenitum, non affixum, imo ipsis penè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse regem & dominum, cunctorum, quæcunque sunt, moderatorem? Non persequor hæc diutius fati à B. Musæo *Introd. in Theol. Cap. 11. §. 22. p. 58.* aliisque demonstrata. Nec Gentilium testimoniis multum inhæreo, uti enim illa ex Patribus, ita hæc ex Historia Philosophica ad nauseam usque deduci possent, nisi omni modo brevis esse contenderem; sane vel ex foliis Ciceronis de natura Deorum inspectione, integra poterit de Theologia Ciceroniana conscribi dissertatio. Taceo splendida Stoicorum dogmata præcipue Senecæ, quem multi propterea peculiaribus nixi hypothesebus inter beatos referunt, ejus solum ex *Epist. CXVII.* adducam testimonium: *Multum, inquit, dare solemus presumptioni omnium homi-*

β consensu Gentilium & Christianorum.

mm. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, tanquam Deus esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est a deo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. Ab effectu itaque communi recte concluditur ad causam communem, quæ neque educatio neq; aliud quoddam hominum institutum esse potest vid. celeberr. Dn. D. Buddeus de Atheis. & superst. p. 366. ss. Siquidem opinionibus, moribus, ritibus, maxime inter se differunt, ut ea pleraque nostris moribus sint decora, quæ apud alios turpia putantur; immo ita sæpius mutantur, gentes, ut post aliquot secula vix sibi similes videantur. In hoc solo autem: esse aliquod Numen &c. per tot tantaque secula innumeræ fere gentes consentiunt, ut aliter plane inferre nequeamus, quam ferri omnes gentes instinctu quodam naturæ ad Numinis alicujus timorem, ad Dei cultum.

§. XXXIII.

Contra quem obijci-
tur: 1. ho-
mines esse,
quia ob de-
jectum soci-
alitatatis
non fuerint
edocti, no-
titia DEI
destitutos.

Probe quidem novi non deesse, quæ contra communem istum consensum obijciantur: dantur homines, inquit, qui, quia parvuli expositi omni doctrina fuerunt destituti, nullam DEI cognitionem habent, quale exemplum Bern. Connor ut ἀνίστημι recentet in Evangelio Medici: Cum nuper, inquit, Anno 1694. Varsavia in aula Joannis Sobiesci, defuncti jam regis Polonia, aliquandiu versatus fuero, in nemoribus ad Lithuania & Russia confinia sitis à venantibus sylvicolis captus fuit inter gregem ursorum juvenis Sylvaticus, decem circiter annos natus, ad spectum horridus, & pilis hirsutus; qui neque rationis neque loquela, imo neque vocis humane usu gaudebat: nihil cum homine commune habebat, præter externam nudi corporis figuram. Quum autem vultu saltem hominem imitaretur, lavarci fonte fuit initiatus, & à brutorum grege semotus. Humana societatis ipsum primo tædere videbatur, inquietus enim, anxius, & ad fugam propensus erat, quasi in carcere se ipsum detineri crediderit: donec levatis contra murum manibus, pedibus tandem stare, uti infantes vel catuli solent, edoctus, & dapibus humanis paulatim assuefactus, post longum tempus cicuratus; & verba quedam rauca & inhumana voce proferre incepit. Sed hoc aliaque ejus generis exempla nil quicquam contra sententiam adhuc dum propugnatam evincunt, nam 1. quid cogitaverit nemo novit, licet enim non fuerit loquutus, cogitavit tamen, 2. Si loque-
la

la quidam destituantur, nec tamen propterea negandum, ab ipsa natura homines ad eam impelli, neque ex eo, quod quidam DEum non cognoscant, inferre licebit eos non habere facultatem cognoscendi DEum.

§. XXXIV.

Speciosius aliquo modo est, quod objiciunt: homines in societate natos, imo eruditos, DEum esse negare. Cicero de nat. Deorum Protagoram, Diagoram & Theodorum existentiam Deorum in dubium vocasse refert, & de priori Lactantius in ipsius vita testatur: eum conscripsisse librum cujus initium fuerit, *πῆ εἰ μὲν θεῶν ἐκ ἕχθῃ εἰδέ-
ται εἰ θεῶς εἰσὶν εἰδ' ὡς ἐκ εἰσὶν.* de Diis quidem, neque utrumque sint, neque an non sint, *πισσὺν* dicere. Et quid loquor de singulis personis, integras gentes quibusdam in Atheismi suspicionem venisse notum est, sed quam lucrigo & fallaci fundamento, quamque infirmis rationum generibus, nemini potest esse obscurum, qui circumstantias modo rite pensitaverit. Verba pro me faciat A. Heidanus de orig. Err. Fieri potuit, inquit, ut non vera de populis istis narrentur, vel ob historiae & αἰολοψίας defectum, & fidem nimis leviter iis, qua de illis perferbantur, ab incompetis adhibitam, vel ob exiguam, quam nauta nescia in his insulis fecerunt, moram, & non satis bene postquam in explorando gentis genio industriam & diligentiam: neque enim ex septimanarum aliquot fortuito contubernio, & tumultuario convinctu iudicium fieri potuit, de moribus, ritibus, ingenio & religione integra gentis. Potuit quin etiam in barbaris illis tam degenerasse & decolor visa esse, ut in quo illi religionis cultum statuerunt, nostris nulla iudicata sit, atque in eo illi Numen se colere prae sumserint, quod nostris pro mera profanitate habitum Lib. IV. C. I. §. V. Hac itaque ratione eludi potest quicquid Lockius Lib. I. de intell. hum. C. IV. §. VIII p 71. sq. Quicquid alii, de gentibus, in quibus nulla notio Numinis religio nulla deprehendatur, dicunt. Præter enim ea quæ ex Heidano modo adduxi, notum est 1. ipsam horum relationem esse falsam, satisque ab aliis confutatam. 2. gentes illas nautas ejusmodi tanquam acerrimos sui odisse hostes, num vero hostibus, quæ nobis sacra sunt, communicamus? 3. ita moris fuisse plurimis omnino gentibus, ut neminem facile ad sacrorum suorum admiserint mysteria, à quibus tamen omnis externi cultus dependet explicatio, qui sine iis profanus magis quam sacer peregrinis videtur.

2. Eruditos
etiam imo
integras
gentes DE-
um non co-
noscisse.

NOB

Non possum quin adducam, quæ eleganter admodum hanc in rem dixit M. Joh. Michael Hallwachsus Stip. Theol. Tubing. t. t. Re- petens, solidissimus solidioris Philosophiæ, quod Jena testatur, Doctor, ob varium, qui ex doctissimis ejus discursibus in me redun- davit usum, publice meritò laudandus, in diss. *de Juramento Athei* p. 32. & 33. *Neque constat, inquit, an unquam, rogata licet, quod res est, suis de sacris, fuerint professa? præsertim cum omnibus fere gentibus in more semper fuit posuim, non cuique, omnium minime advenis, sua- rum doctrinarum & cultus sui rationes pandere. Quanta, quæso, molis erat Pythagora in Aegyptiorum disciplinam admitti? quam varie à sacerdo- tibus delusus, ab Heliopolitis ad Memphiticos, à Memphiticis ad Dios- politas ablegatus, diuque durissime habitus vid. Porphyrius in vita Py- thagora p. 183. & c. Plato auctorem, inquit, & Parentem universi- tatis in vulgus prædicare, nefas est, idcirco alibi suadet: de DEO ænigmatische loquendum esse, ut, si forte terra marive periclitentur litteræ, legantur quidem sed non intelligantur. Fufius & ex insti- tuto hæc omnia deduxit Joh. Ludovicus Fabricius in tr. *apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi*, cui & alios adjungit celeb. Joh. Eranc. Buddeus *de Ath. & Superst. Cap. V. §. 1. p. 363. ss.* Certa autem individua & aliqui saltem homines, si qui sunt qui negant, qui pauci sunt, ad tanta millia collati thesin nostram non infringunt; neque enim quod est naturaliter cognitum, necesse est, quod verifi- cetur pro quolibet individuo; (uti in Scholes dicitur) neque etiam propensionem istam mentis in DEum irresistibilem esse unquam sta- tui, sed supprimi & impugnari posse antea observari.*

§. XXXV.

3. Insipien-
tes & in-
fantes nil
quidquam
de DEO
scire.

Nec id evincit, quod insipientes & infantes notitia DEI desti- tuantur, cui tamen argumento multum tribuit Lockius *de intell. huma- C. 11. §. V.* *Primo etenim manifestum est, inquit, puerulos atque insipi- entes nulla cognitione aut cogitatione illorum (principiorum) imbutos esse; atque illud satis superque est ad fidem universali isti consensui derogandam, quam ingenitarum veritatum comitem & socrum esse necesse est. Et pau- lo post: Si pueruli igitur atque insipientes præditi sunt animis ita a natura signatis, necesse est, ut veritates ista ipsis notescant atque assensionibus ipso- rum comprobentur; & quoniam haud illud fieri anim advertimus, palam est,*

est,

est, eas non in ipsorum animis esse consignatas. Sed quis non videt, eum pugnare contra notitias infitas in actu secundo, aut nullam esse argumentationis vim; nam, num quæso inde sequitur, quia pueruli ipso actu secundo hæc non cognoscunt, ergo illis non est innata aliqua facultas hæc cognoscendi? aut, si insipientes, qui destituuntur usu rationis, hæc non cognoscunt, sequitur? neque hominem rectæ rationis hæc cognoscere. Sane, non aliter mihi videtur, ac si velles argumentari: destituuntur quidam homines visu, ergo hominibus non est connata facultas videndi. Pari ratione ad reliqua Lockii argumenta responderi potest, aut enim impugnat notitiam actu secundo inditam, & sic non pugnat cum Theologis, aut, si facultatem inditam impugnat, pueriliter admodum philosophatur, quod tamen de tanto Philosopho non facile dixerim. Contra eum egerunt insignia Salanæ lumina Fœrtschius in *Select. Theol. P. II. Exerc. XVI. §. 44. ss.* Buddeus in *Instit. Th. Mor. p. II. C. II. ad §. V.* Socinianorum, qui hæc in re dissentiant, uti à multis, ita præprimis à B. Feurbornio, Viro in admirationem orbis literarii nato, summo, dum vixit, Ludovicianæ hujus ornamento, examinata sunt argumenta, in *Anti-Ostorodo & Anti Enjedino*; Oltorodum etiam quoad hanc rem refutavit D. Brochmannus *art. III. Syst. Theol. C. II. quest. 1. &c. &c.*

*Auctores
qui dissen-
tientes refu-
tarunt, in-
dicantur.*

§. XXXVI.

Et hæc sunt, quæ, pro ingenii modulo, hac vice observare placuit. & finis im-
Veritatem pro viribus quæsi vi, num eam semper invenerim, penes *penitus.*
te, Lector Benevole, esto iudicium. Si quid erravi, quod ob tem-
poris brevitatem iudicii que imbecillitatem facile fieri potuit,
pro æquitate tua condonabis, meaque studia Tibi porro
habebis commendatissima,

D

THE-



THEMATA

Excell. Dominorum Professorum
pro more adjecta.

I.

AN forma nobilior sit materia?
An Barometrum recte dicatur *instrumentum vacui*?

II.

CLientelaris Civitas vera est Civitas.
An Fœminæ utiliter munia Reip. atque Legationis
obire queant?

An Turcæ vivant in Rep. Regulari?

III.

AThei veri non dantur.
A Distinctio inter Atheos theoreticos & practicos non
est adæquata.

Fabula est, quod de Emma, Eginhardi Uxore fertur,
eam Caroli M. filiam fuisse.

IV.

Nemo rectius breviter scribit, quam qui copiose scri-
bere didicit, siquidem rerum & verborum ner-
vus per delectum e copia est deducendus.

In Poësi germanica perinde, atque latina, rhythmum
omitti debere nonnulli haud sine ratione conten-
dunt.

Scire,

Scire, unde aliquid petere debeas, quum inquirendum est, eiusque rei ratio perspicienda, est pene dimidium ipsius didicisse.

V.

Infiniti Numinis existentia ex numeris infinitis æque ac finitis cognosci potest.

Possibilis omnino datur ex observatione unica terræ dimensio.

Planetæ urgentur vi perpetua ad solem tendente.

VI.

Pontificem apud Ebræos summum, & unico tantum die per integrum annum & sapius ingressum fuisse sanctum sanctorum, adfirmare licet, nulla existente Mosen inter, & divinam epistolæ ad Ebræos Scriptorem, pugna.

Templum Herodianum & secundum dici potest & tertium.

Ælianus, varia historia Scriptor, non diversus est ab eo, qui *περικλήν* consignavit historiam, etsi non paucis, iisque haud infimi nominis auctoribus, contrarium videatur esse verissimum.

Græcam inter & Germanicam nostram linguam tanta est, si non longe major, convenientia, quanta Graicam inter & Gallicanam intercedere demonstravit olim peculiari libro *Henr. Stephanus*.

VII.

ATheismum, Deismum, Pantheismum & Spinosismum ex *Philosophia Cartesiana*, aut Principiis Physicorum, sic dictis, mechanicis profluxisse nullo modo probari potest.

His vero erroribus gravissimis *Aristotelica & Stoica Philosophia* insignes errores, de DEO, de Natura, de Anima & aternitate mundi occasionem & originem

ginem dedisse, res ipsa non loquitur, sed clamat.

VIII.

Veræ felicitatis symbolum est, paucos numerare amicos; sicuti contra maximæ infelicitatis nota est, longum de iis catalogum necere posse.

Non datur conscientia dubia.

IX.

Male concludit *Helmontius tract. de Log. inutili*: Logicam Medico nec necessariam esse nec utilem, quod præcipua Logicæ membra, Definitio, Divisio & Argumentatio corruant, ob ignotas plurium rerum differentias specificas seu constitutivas.

Generales Entis conceptus & proprietates, uti universales postulant terminos, per universam eruditionem adhibendos, sic & ipsam Primæ Philosophiæ vel Metaphysicæ utilitatem & necessitatem arguunt.



Coll. diss. A. 241, misc. 5